

DE SOLO
EX PLANTIS EIDEM INSITIS DIGNOSCENDO,
PERICULI CHEMICO-OECONOMICI CONTINUATIONEM,

Venia Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Aboënsis

Publicæ censuræ subjicit

LAURENTIUS IOHANNES PRYTZ,
PHIL. & MED. DOCTOR, FAC. MED. ADJ. ORD. & DEMONSTRATOR
BOTANICÆ, IMPER. COLL. MED. FENN. SECRETARIUS,

RESPONDENTE

CAROLO ANTONIO SANMARK,
STIPENDARIO PUPILICO, SATACUNDENSE.

In Auditorio Medico die XVIII Octobris MDCCCXVII.
horis post meridiem IV & sqq.

Ventos & proprium coeli prædictere morem cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum, & quid quæque ferat regio & quid quæque recuset.

COLUMELLA ex vetere Vate.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS

DE 2910

THE PERVERSE ETHICAL IMPATIENT DEMOCRACY

BY JOHN CHARLES DICKSON, M.A., LL.D.

WITH A FOREWORD BY JAMES L. BROWN

REPRINTED FROM THE

AMERICAN JOURNAL OF POLITICAL SCIENCE

BY THE AMERICAN POLITICAL SCIENCE ASSOCIATION

REVISED EDITION

CARLO VITALE SARTORIUS

TRANSLATED BY G. H. COOPER

AN ANNOTATED BIBLIOGRAPHY OF THE STUDY OF DEMOCRACY

EDITED BY R. H. TAWNEY

WITH A FOREWORD BY JAMES L. BROWN

AND A BIBLIOGRAPHY OF THE STUDY OF DEMOCRACY

EDITED BY R. H. TAWNEY

CONTINUATION OF THE BIBLIOGRAPHY

ABERDEEN UNIVERSITY PRESS

& in omni solo intermixtae insunt, separentur; quo facto quantitatem eorum in cribro residuam libra adhibita explorato. Quibus rite peractis ad distinguenda & determinanda statim terrestria praedicta progrediendum est.

Partem igitur pulverulentam, quae per cribrum acta fuit, catino fistili carbonibus cendentibus superposito injectam, admissaque aëris accesu & continua per gente agitatione, leniter ignescere finas, usque quo nigrum suum colorem ex humo oriundum penitus amittat, indicio certo omnem jam humum igne esse destrutam *s*); refrigeratam dein ponderes, & quod ex gravitate sua perdidit, quantitatem humi fuisse intelligas *t*). Pulveri post hæc remanenti, ex arena nempe, argilla & calce composito, acidum salis, sextupla aquæ portione dilutum, sensim adfundas, usque dum omnem calcem exceperit *u*); mixturam dein hancce diligenter agitatam per aliquot horas

im-

- s*) EINHOE observavit humum celerius & perfectius igne consumi addita *nitratis ammoniaci* quarta parte pro portione soli examinandi; hoc enim sal calore dissolvitur & penitus avolat, magnam insimul copiam explicans oxygeni, quod destructionem humi valde promovet & accelerat. Videatur de his CROMB in *Hermbst. Archiv B. 4 h. 4 p. 222*. Qua quidem methodo si uti volueris, de quantitate calcis solo contentæ in alia hujus portione inquirendum est.
- t*) Methodus illa humi quantitatem via sicca seu ignis ope rimari, facilissima quidem est, at minus accurata, quamobrem pleniorem sed difficiliorem proposuit CROMB in *Lib. eit. p. 46*, via humida instituendam ope *Kali caustici* vel *aërati*, quod si cum solo coquatur omnem ejus humum, reliquis intactis partibus, dissolvit.
- u*) Quod quidem facile observatur cum terra desinat adfuso acido effervescere, vel saltem si prior portio inde elota fuerit, & nova quedam addita ac percolata, ex acido sulphuris instillato non turbetur hæc colatura.

immotam relinquas, quo particulae non disolutae subsideant; fluidum limpidum a sedimento caute detrahas, atque residuum aqua eluas, donec saporem acidulum amittat. Cum in omni hac lympha calx continetur, eidem calefactæ lixivium tartari addas quousque pulvis albus inde præcipitetur, qui pulvis calcem exhibet quæ solo continebatur.

Maxima pars arenæ ex residuo supradicto facile separatur, si illud cum majori quadam aquæ copia commisceas, fortier agites & deinde paullulum subsidere sinas; arena enim gravior fundum vasis mox petit, superfluenta aqua turbida, argillam leviorern subtilissime divisam sibique immistam retinente; lutulentam hanc lympham caute defundas, idemque iterata lavatione arenæ restantis pluries repetas, quoadusque limpida omnino post agitationem maneat aqua superflua, unde pro certo judices omnem argillam jam esse segregatam, & ab elutoria aqua exceptam (*elutriare*, Svet. *flamma* hanc operationem nuncupant). At præter has majusculas arenæ micas, quas sic separaveris, subtilior quedam illius portio argillæ arctius adhæret, quem nexum coquendo solvere nos docuit EINHOF ^{x)}; quamobrem liquorem sic paratum per dimidiam horam continua adhibita agitatione decoquas, & refrigeratum, quo & subtilissima illa arena separetur, iterum tractes modo, quo de grandioribus ejusdem micis sejungendis jamjam innuimus; liquorem demum per filtrum coles, ut argilla in unam massam colligatur. Quibus omnibus sollerter confectis separata hæc soli stamina, calcem nempe, arenam & argillam, seorsim siccatæ æstimes & libra suspensa eorum quantitatem definias.

Arenæ

^{x)} Vid. CROME Lib. tit. p. 28 & in HERMBST. Archiv B. 5 h. 2 p. 385.

Arenæ in elementa sua decompositione adeo haud opus est ruricola^y), quia mechanici tantum sunt ejus in solo effectus; argillæ autem accuratior analysis interdum desiderari potest, quoniam pro partium suarum constituentium varia portione diversam saepe naturam prodere solet; hæc vero analysis cum majores habeat difficultates & ambages, quam ut ab agricola, chemicis operationibus subtilioribus minus adsveto, institui possit, artificiose ejusmodi disquisitionis methodum neque hic apponere voluimus z).

§. 6.

Propositis sic rationibus, quæ in stationibus plantarum naturalibus determinandis plurimum valeant, explicatis porro breviter, & in quantum huic fini necessarium videretur præcipuis soli compositionibus, constitutaque demum easdem explorandi methodo, sequitur jam ut pauca de quatuor illis, quæ supra posuimus soli generibus observemus, subjungendo cùique eorum eas ex plantis indigenis, quas secundum observationes multoties & curate factas pro certo comperimus hoc vel illud soli genus præ aliis habitandum præoptare.

Solum arenosum.

In hoc genus relatas volumus omnes soli species quæ arenæ 60 vel ultra partes, ex centum totius, calcis 10 ad summum, humi usque ad 20, reliquum vero argillæ (non ultra 30), comprehendunt. Copia arenæ, quæ nomen huic so-

lo

y) Vid. Hermßt. Archiv B. 3 h. 1 p. 150.

z) Hancce accuratius nosse capientes consulant EINHOF in Hermßt. Archiv B. 3 h. 1 pp. 86 sqq.

lo dedit, proprietates quoque eidem tribuit suas; facile igitur noscitur colore saepius flavo vel gilvo, qui pro argillæ aucta portione in obscuriorem griseum vel fulvum abit, linguæ non adhærescit hoc soli genus, neque humectatum odorem prodit argillaceum, tactu asperum est & macrum, bibulum insuper, sed aquæ intimius misceri haud potest, nec eandem inter siccam diu retinens, tenerum præterea, putre ac pulverulentum, neque exsiccatum in glebas transit, sed granulosam suam formam, si vel humida sit vel secca, servat. Ceterum a varia tenuitate micarum hæ proprietates quam plurimum pendent, ita ut quo subtiliores sint illæ, eo plus aquæ retinere valeat, eo magis conglutinentur particulæ, & eo proprius ad argillæ habitum accedat, quamquam & minor ejusdem portio in solo continueatur; quamobrem arenosum solum granulosum vel primo obtutu ab argilloso distinguitur, pulverulentum autem & subtilissimum, saepius non nisi curatius instituta disquisitione, cognoscatur. Attamen allatae hæ qualitates constantes adeo non sunt, ut non in aliis atque aliis arenosi soli speciebus, pro diversitatibus innumeris partium constituentium maximeque argillæ, multipliciter varient, insensibili enim adeo progresu hocce soli genus in solum argillsum abit, ut certi quidam limites hæc inter definiri vix possint, quamquam dissimillima revera sint, & proprietatibus omnino contrariis inter se maxime distent.

Solum arenosum apud nos vulgarissimum est, & colles in primis ac loca elatiora occupat, vastos interdum altiori situ editos campos obducens, in quibus locis sterilitate sua & nimia siccitate notabilis esse solet, nisi ubi inferius aliud quoddam soli stratum, aquam quadantenus retinens, huic vitio remedium afferat. In campus humilioribus & æqua planicie patentibus parcus reperitur, præstantissimam vero ibi locorum constituens agrariam terram, si simul debitas humi calcisque libi

ibib immixtas habeat portiones. Ripas praeterea fluminum ac littora maris haud raro obfidet, hisque locis plerumque fertilior, quia & uligine & humo illuc aquarum ope allata ut plurimum abundat.

Laxitas & mobilitas hujus soli commodum agricolis tractu illud reddunt, qui appellatione *terrae levis* (*lätt jord*) eam ob causam illud vulgo distinguere solent. Porosa ejus indoles etiam facit ut stercoreatione parca tantummodo, sed eo frequentius repetita, quo fructuosum evadat, indigeat; quia quum aërem inferiori sua parte minus excludat facileque agitetur, partes organicæ in nutrimenta celerius commutantur, quam in densiori fieri possit solo. Melius generatim culturæ favet, quo magis supra laudatam staminum proportionem servet; quamvis etiam ex situ & aquæ copia, uti jamjam innuimus, fertilitas ejus valde pendeat. Cæterum hic, uti in omni agricultura observari debet, ne agrum loco nimis edito & clivoso condas, quoniam partes soli aqua solubiles principiumque illud extractivum a pluviis & aquis vernalibus facilissime avehi possunt. Ubi vero altior campi arenosi situs fuerit & siccitate nimia laboret, agro talis locus non est satis aptus, multo minus prato commodus, sed potius pro pascuo habendus, quia sic humiditas, quæ a pluviis ac rore quotidiano oritur, cæspite gramineo testa diutius retinetur, & magna hujus terreni mobilitas simul firmatur. Cæterum vitia hujus soli, nimia arena onusti, argilla copiose advecta optime corriguntur; uti contra arena commode adhibetur ad argillosum solum, plus justo durum & compactum, castigandum & emoliendum.

Ubi autem melioris est indolis solum arenosum atque situ opportunum, frugibus variis colendis bene arridet, maxime vero *Secali cerealis*, *Avenæ sativæ* & *Solanæ tuberosæ*. Ex nostrisibus

autem plantis hæc præcipue arenoso delectantur solo: *Salicornia herbacea*, *Veronica maritima*, *officinalis*, *arvensis* & *verna*, *Lycopus europaeus*, *Scirpus maritimus*, *Nardus stricta*, *Agrostis spica venti*, *Aira flexuosa*, *Festuca ovina*, *rubra* & *decumbens*, *Bromus secalinus*, *arvensis* & *teftorum*, *Arundo arenaria*, *Elymus arenarius*, *Plantago lanceolata* & *maritima*, *Sagina procumbens*, *Lycopsis arvensis*, *Echium vulgare*, *Verbascum*, *Glaux maritima*, *Herniaria glabra*, *Chenopodium glaucum*, *Salsola Kali*, *Myosurus minimus*, *Allium oleraceum*, *Rumex acetosella*, *Arbutus Uva ursi*, *Scleranthus annuus*, *Dianthus deltoides*, *Silene noctiflora*, *Stellaria graminea*, *Arenaria peploides*, *serpyllifolia* & *rubra*, *Spergula*, *Rosa spinosissima*, *Delphinium Consolida*, *Thymi*, *Euphrasia officinalis*, *Melampyrum cristatum* & *arvense*, *Antirrhina*, *Scrophularia nodosa*, *Linnaea borealis*, *Subularia aquatica*, *Draba verna*, *Lepidium ruderale*, *Cochlearia danica*, *Arabis thaliana*, *Raphanus Raphanistrum*, *Bunias Kakile*, *Issatis tinctoria*, *Crambe maritima*, *Geranium robertianum*, *rotundifolium* & *cicutarium*, *Pisum maritimum*, *Astragalus uralensis*, *Trifolium arvense* & *procumbens*, *Carlina vulgaris*, *Artemisia campestris*, *Gnaphalium dioicum* & *uliginosum*, *Erigeron acre*, *Aster Tripolium*, *Chrysanthemum segetum*, *Anthemis Cotula* & *arvensis*, *Filagines*, *Jasione montana*, *Viola tricolor*, *Carex arenaria*, *Atriplex laciniata*, &c.

§. 7. *Solum argillosum.*

Huic generi adnumeramus soli species quæ argillæ ad minimum 30 centenarias partes, calcis non ultra 10, humi usque ad 20, reliquum arenæ contineant. Iisdem omnino proprietatibus, quas supra diximus in argilla occurrere, notabile est hoc soli genus: colore gaudet saepius cinereo, ferrugineo, fusco vel nigricante, linguae pertinaciter adhaerescit, odorem spargens

ar-

argillæ proprium, aquam avide imbibit, lentius vero in ea fatiscit seu dilabitur, turbidamque eam simul reddit; inter siccandum, dum valde contrahuntur partes, rimas agit & in durissimas coit glebas, quæ vix, in primis si majores argillæ portiones fuerint, digitis confricari posunt. Pulverulentam formam hoc solum neque siccum neque humidum induit, siccatum enim glebas & frusta majora constituit, humidum autem in maslam cohærentem ac tenacem abit. Frigore si comprimatur, aqua, cujus majorem copiam semper continet, gelu dura-ta partes illius relaxat & undiquaque distendit, ut grumosum ac facile friabile evadat, soluto vero gelu mox in pristinam formam coeunt particulæ diductæ. Omnes autem hæ qualita-tes, uti ad judicandum facile est, in variis hujus soli specie-bus variant, pro quantitatibus arenæ, calcis & humi majori-bus vel minoribus, quæ argillæ immixtæ sunt.

Æque fere apud nos vulgare est hocce soli genus at-que arenosum, humilioribus & planioribus campis præcipue proprium, nihilo tamen minus in collium declivitatibus non-numquam obvium. Solent loca primum commemorata ulige-ne nimia laborare, nisi inferius soli stratum arenosum sit, quod stagnantes alias aquas per se transmittat; altiora vero loca argillosa eximia plerumque fertilitate piæalent, quia superfluæ aquæ hic cito decurrunt, solo tamen humoris fatis in se retinente, ut vel per diutinam cœli siccitatem eum cum plantis communicare poscit. Ubi vero situs soli demissior & uliginosus omnino est, atque inferius compactæ argillæ stratum superiori ejusdem indolis subjacet, sterilia valde hæc lo-ca esse solent & vegetationi in genere inimica, maxime quod aqua ibidem exuberans continue evaporare pergit, sive caloris principium insigñiter consumat; quare frigidiora quoque sunt hæc loca (hinc *kall jord* vulgo dicta), ibique hospitantes plantæ gelu terræ, in primis vernali & autumnali temporibus,

sæpius obnoxiae sunt atque frigore quasi uruntur (*kälbrändor* nostrates eas appellant).

Difficilis hoc solum colitur ob tenacitatem cum humidius est, & densitatem duritiamque cum nimis est arefactum; multum itaque exerceri & agitari debet, quo fructum reddat; que vero soli hujus qualitas id tamen habet commodi, ut nec incidentes pluviae, nec siccitates nimiae, plantis talium locorum in tantum noceant, ac in leviori quadam terra fieri solet; quamobrem, modo recte tractetur, optima merito judicatur talis soli compositio, quæ fertilitate sua sæpius & uberrime diligentiam industriamque coloni remuneret. Humi efformationem & transmutationes sine dubio aliquatenus promovet hoc solum, uberior ex aëre oxygenium-absorbendo illudque ad particulas organicas sibi inhærentes sic facilius propagando; at majori tamen ex parte hasce metamorphoses retardat, dum particulas ejusdem secum arcte ligat & involvit, siveque aëris accesum ab iisdem arcet, quamobrem copioso letamine eget hujusmodi ager, vim ejus fœcundandi eo diutius retinens.

Triticum hybernum & *Hordeum vulgare* colendis maxime conuenit solum argillosum; cui præterea sequentes Fennicas plantas potissimum insitas esse observavimus: *Hippurides*, *Phleum pratense*, *Dactylis glomerata*, *Lolium perenne*, *Galium Aparine*, *Primula veris*, *Campanula Cervicaria*, *Chenopodium polyspermum*, *Statice Armeria*, *Rumex crispus*, *Elatine Alsinastrum*, *Agrimonia Eupatoria*, *Potentilla argentea* & *reptans*, *Ranunculus repens*, *Lamium amplexicaule*, *Stachys palustris*, *Leonurus Cardica*, *Prunella vulgaris*, *Melampyrum pratense*, *Limosella aquatica*, *Ononis spinosa*, *Lotus corniculata*, *Sonchus arvensis*, *Leontodon Taraxacum*, *Arctium Lappa*, *Serratula arvensis*, *Carduus lanuginosus* & *crispus*, *Inula salicina*, *Matricaria Chamomilla*, *Orchis bifolia*, *Humulus Lupulus*, *Equisetum arvense*, &c.

§. 8. *Solum calcareum.*

Calcis vel parca portione in solo obviæ maxima est vis & efficacia, quare huic generi adnumeramus soli species quæ 10 saltem illius, vel ultra, partes centenarias, *humi* usque ad 20, reliquum arenæ & argillæ contineant. Adspectu hoc genus a præcedentibus vix distinguitur, nisi quod lapillis calcareis immistum aliquando occurrat, & si major quædam calcis quantitas solo inest, canum, cinereum aut albidum appareat; sed superfusis acidis vehementi effervescentia, & fortiter candefactum gustu quodam cauſico facile fefe prodit. Tactu asperum & macrum esse solet, sed hæc, ut aliæ ejus proprietates plurimæ, a varia quantitate arenæ & argillæ magnopere pendent. Laxum & putre est hoc solum, immo magis quam pro massa argillæ quam continet exspectari posset; argillæ vero cohæſio a calce adeo minuitur, ut si vel illius sit dimidia in solo portio & ultra, calcis autem non nisi decima, inter digitos friabile est tale solum & in aqua statim satiscit $\ddot{\alpha}$).

Rarior reliquis soli generibus est hæc terrarum mixtura, & vix nisi in vicinitate montium calcareorum occurrit, editiora potissimum occupans loca, sed interdum quoque per planos campos in nodulos acervatum obvenit, vel inferius quodam soli stratum constituit. Vis hujusmodi soli in humum a-gendi ex iis quæ de calce supra diximus colligi potest; major autem hujus principii solo immixti quantitas, überem quoque humi copiam desiderat, quo fertilitas terræ aliquamdiu duret;

alias

$\ddot{\alpha}$) Hujus rei, ut & quæ de proprietatibus reliquorum soli generum attulimus, exempla colligantur in CROME Libello s̄epius laudato, qui centum circiter variarum soli specierum accuratas analyses & descriptiones continet.

alias enim alimenta plantarum, quæ solo insunt, calx nimia cito consumit, atque cariosam exesamque reddit terram; quam igitur servidam (*het jord*) appellant rusticæ.

Ad hoc soli genus pertinet quoque celebratissima illa terræ compositio, quæ *marga*, *geomarga* (*mergel*, *jordmärg*) Agronomis audit, & quam pro lætamine agrorum adhibendam magnopere commendant rei rusticæ Scriptores, cujusque in agros salubris effectus a calcis copia inprimis deducendus est. Componitur illa in primis calce & argilla, aut paribus aut inæqualibus partibus intime junctis, addita arenæ majori vel minori portione: de qua vero plura dicere vetant limites huicce opulculo proposti, in primis cum & rarius hucusque in nostris regionibus detecta sit \ddot{a}).

Haud quidem paucæ sunt plantæ, quæ calcis majorem quandam portionem in terris ipsas foventibus odorari docent, scilicet: *Veronica spicata*, *Aira cespitosa*, *Avena pratensis*, *Plantago media*, *Convolvulus arvensis*, *Campanula persicifolia* & *glomerata*, *Gentianæ*, *Caucalis Anthriscus*, *Athamanta Libanotis*, *Laserpitium latifolium*, *Pastinaca sativa*, *Pimpinella Saxifraga*, *Saxifraga granulata*, *Cucubalus Behen*, *Silene nutans*, *Prunus spinosa*, *Spiraea Filipendula*, *Chelidonium majus*, *Cistus Helianthemum*, *Anemone Pulsatilla*, *Galeopsis Ladanum*, *Euphrasia Odontites*, *Anthyllis vulneraria*, *Lathyrus sylvestris*, *Vicia sylvatica*, *Trifolium montanum*, *Hypericum hirsutum*, *Hieracium murorum*, *Hypochaeris maculata*, *Tussilago Farfara* & *Petasites*, *Anthemis tin.*

$\ddot{a})$ De Margæ proprietatibus, usu ac virtutibus consulendi sunt inter plurimos recentiores in primis CROME, Lib. cit. appendix, quæ agit *Von den Mergel- und Maderlagern*. THAER Lib. cit. Del. 2 pp. 103 sqq. & Idem in *Annalen des Ackerbaues* a se editis, 1805 B. 1 pp. 831 sqq. RIXEN ibidem 1805 B. 1 pp. 24 sqq. LANGE ibid. 1807 B. 1 pp. 333 sqq.

tinctoria, Ophrys monorchis & Nidus avis, Corylus Avellana, &c.

Aliæ iterum non occurunt, nisi ubi calx in solo abundet, & constantia sic exhibent hujus principii præsentis signa, nimirum: *Lithospermum officinale, Asclepias Vincetoxicum, Allium Schoenoprasum, Daphne Mezereum, Rubus cæsius, Clinopodium vulgare, Origanum vulgare, Draba muralis, Geranium sanguineum, Medicago lupulina, Prenanthes muralis, Viola hirta, Hippophaë Rhamnoides, Taxus baccata, &c.*

§. 9. *Solum humosum.*

Hoc nomine appellamus quodcumque solum *humi* 20 falcata centenarias partes totius masæ comprehendens; quæ hujus principii quantitas sufficit proprietatibus efficiendis specificis, quæ hoc genus a reliquis distingunt. Cognoscitur facile colore fusco vel nigrante; si vero humectatur solum nigerinus ille fit. Laxisimum est hoc soli genus, porosissimum & quasi spongiosum, maxime putre, & si siccum obvenerit adeo quidem leve, ut magna ex parte aquæ aliquamdiu innatet, antequam humore tandem saturatum ad fundum vasis fese demittat. Ceteræ qualitates hujus soli a proportionibus reliquarum partium constituentium maxime pendent; at laxitate & levitate sua semper notabile manet.

Solum humosum, in crassissimum stratum congestum, locuta ac paludosa haud raro obducere solet, ut & ea, quæ olim flaviis fuerunt inundata, e quibus vero aquæ jamjam recesserunt, nec non ubi sylvæ densissimæ humiles montibusque inclusas convalles occuparunt; huc enim ex altioribus locis partes terræ leviores aquarum aggestione allatæ ibidemque depositæ sunt, unde per saeculorum decursum sensim coacer-

vata est humus, austæ insuper in sylvis frondibus arborum quotannis decidentibus & putrescentibus. Monere etiam attinet in hortis plurimis bene cultis, uberrimæ stercorationis ope, solum hujusmodi arte & industria humana generatum reperiri; qualis autem fertilis soli congeries, quæ & humo abundet aliisque bonis quibusvis qualitatibus se commendet, & sicciori simul situ vegetationi copiosiori opportuna sit, vix sponte & per se nostris in oris occurrit.

Levitas & porositas hujus generis soli nimia facit, ut quamquam adsit in illo quam plurimum nutrimenti plantis fo-vendis necessarii, agro tamen non omnino bene inferviat; namque cum & per se & ope aquarum, quibus tam bibula sua natura quam loci situ abundat, porosum sit, evenit ut gelu hibernali distendatur & targeat soli illius massa, (hinc *terra spongiosa, pösjord* agricolis interdum dicta), una cum tenerioribus frumentis ibidem satis: unde demum, cum verno tempore solvitur glacies, radices nudæ aëri objiciuntur & exsiccantur, sicque tabes & internecio tandem segeti affertur. Sata immo adultiora, copioso humi alimento lætissime crescentia, cum in leviuscula terra firmas adeo radices agere haud possint, ut se sustinere valeant, pondere proprio, aut saltem vi ventorum imbriumque agitata, sternuntur haud raro funditusque evertuntur, adeoque antequam maturuerint emoriuntur.

Humus, quam hoc soli genus, cum sponte & nulla interveniente arte obvenit, continet, acida plerumque laborat indole, nisi calcis major copia huic vitio medelam attulerit. Hinc & vegetatio in his locis infra quam quod pro nutrimenti abundantia exspectari posset, exilis esse solet. Acida tamen horum locorum noxia depelli posunt exsiccatis uliginosis campis & derivatis hinc superfluis aquis, allata simul arefacto solo debita calcis copia. Laxitas autem ejus nihilominus remanet

net segetibus infesta, nisi major argillæ portio eidem immixta fuerit. In genere autem observandum, humosa hæcce loca dum exsiccantur, praticulturæ in primis & commodissime infervire, sicut proventum uberrimum reddere, cum cæspite gramineo obvolutæ fortius connectantur levioris soli particulae. Præterea juvat lætaminis instar agris, præsertim nimia argilla duris, modicas hujus soli portiones invehere, præcipue si calcem eidem masæ addideris, quæ ut dictum est, viribus valet & acida absorbendi, & humi exuberantis in principium extratuum transmutationem valde promovendi, immo & argillam nimis tenacem & cohærentem relaxandi. Cæterum jam dum apud nos, præsertim in Savolaxia & meridionali Ostrobothniæ ditione, obtinet methodus uliginosa hæcce & humo acida abundantia loca excolendi, ea scilicet incilibus fossis bene exsiccata comburendo, frumentisque vel feno conferendo (*Kyttländer nostratisbus dicit*). Inconsultum quidem primo ob tutu videri posset, cum aliæ solo non insint plantas nutientes particulæ, quam quæ eadem sunt igni obnoxiae, operatio ne quadam hæc alimenta destruente velle fertilitatem terræ adjuvare; at observandum, effectum cineris inde generati in humum remanentem eundem esse ac calcis, copiosamque adeo humi in his locis quantitatem sæpiissime existere, ut omnis illa cum vegetabilibus eidem insitis non posit comburi, nisi negotium incaute admodum agas.

Loca talia acida humo foeta hæ plerumque incolunt plantæ: *Pinguicula vulgaris*, *Schoenus albus*, *Eriophora*, *Aira cærulea*, *Primula farinosa*, *Parnassia palustris*, *Droseræ*, *Ornithogala*, *Junci*, *Scheuchzeria palustris*, *Vaccinium uliginosum* & *Oxycoccus*, *Erica vulgaris*, *Andromedæ*, *Rubus arcticus* & *Chamaemorus*, *Pediculares*, *Eupatorium cannabinum*, *Ophrys cordata*, *Carices* fere omnes, *Salices* plurimæ, *Myrica Gale*, &c.

Fertiliora autem loca, humo mitiori ac melioris indolis exuberantia, sequentes præcipue distinguere solent plantæ: *Lycopus europeus*, *Alopecurus pratensis*, *Aira aquatica*, *Poa pratensis*, *Cynosurus paniceus*, *Cornus suecica*, *Asperugo procumbens*, *Datura Stramonium*, *Chenopodium bonus Henricus*, *urbicum*, *rubrum*, *albidum* & *viride*, *Conium maculatum*, *Aethusa Cynapium*, *Chærophyllo sylvestre*, *Ægopodium Podagraria*, *Altissima media*, *Polygonum Hydropiper*, *Adoxa Moschatellina*, *Dianthus superbus*, *Oxalis Acetosella*, *Ceratium viscosum* & *vulgatum*, *Geum urbanum*, *Anemone ranunculoides*, *Ranunculus Ficaria*, *Glechoma hederacea*, *Lamium purpureum*, *Stachys sylvatica*, *Sisymbrium Sophia* & *Irio*, *Erysimum cheiranthoides*, *Sinapis arvensis*, *Fumaria officinalis*, *Trifolium pratense*, *Artemisia vulgaris* & *Absinthium*, *Matricaria inodora*, *Impatiens noli tangere*, *Urtica dioica*, *Atriplex patula*, &c.

§. 10.

Quæ jam de solo ejusque variis generibus diximus, supreamant ejus struem seu terram arabilem potissimum spectant; eadem vero generatim ad inferiora quoque soli strata pertinent, tantummodo quod hæc humi intermissione prorsus careant. Horum id, quod terræ fœcundæ proxime subjacet, (alij nostris nuncupatum, quod Germani *Untergrund* aptius vocant) maximum habet in agricultura momentum, & in solo ex vegetabilibus eidem insitis dignoscendo æstimandoque curiose omnino considerari debet. Vitiosa enim & plantis quibusdam inimica superioris soli indoles ab inferiori strato meliori corrigi potest; id quod de vi soli aquæ imbibendæ ac retinendæ potissimum valet, quam qualitatem in stationibus suis plantæ, uti vidimus, maxime assequuntur. Quamobrem haud raro in solo quodam occurunt plantæ, quæ eidem prorsus insolitæ & peregrinæ primo intuitu videantur, modo inferius positum solum tale sit, quale pro sua natura desiderent: quod quidem
fæ,

scipissime in iis vegetabilibus locum habet, quæ radices profundius in terram immittunt.

Sunt autem vegetabilia haud pauca, quæ certo cuidam ac definito soli generi adeo non adscripta videantur, ut non in quibuscumque ejusdem variationibus æque copiosa ac læte videntia reperiantur; quamquam non dubitemus etiam his, præter climatum relationes, conditiones quasdam domiciliorum eligendorum a Natura præscriptas esse, nobis licet adhucdum incognitas. Quantum vero nobis hac in re constat, sequentes Floræ Fennicæ plantæ nullum omnino solum aspernari videntur: *Veronica serpyllifolia*, *Chamædrys & agrestis*, *Poa annua*, *Avena fatua*, *Triticum repens*, *Plantago major*, *Myosotis scorpioides*, *Lithospermum arvense*, *Anchusa officinalis*, *Cynoglossum officinale*, *Campanula rotundifolia*, *Solanum nigrum*, *Rumex acetosa*, *Polygonum aviculare*, *Euphorbia Helioscopia*, *Rubus idaeus*, *Lamium album*, *Galeopsis Tetrahit*, *Myagrum sativum*, *Thlaspida*, *Erysimum officinale*, *Malva rotundifolia*, *Vicia Cracca*, *Ervum hirsutum*, *Trifolium repens*, *Crepis tectorum*, *Hypochaeris radicata*, *Lapsana communis*, *Senerio vulgaris*, *Achillea millefolium*, *Centaurea Scabiosa*, *Jacea & Cyanus*, *Urtica urens*, &c.

§. II.

Multæ quidem, præter quas jam nominavimus, restant plantæ Fennicæ, de quarum commodissimis habitationibus nihil certi asferere audemus; plurimis enim nondum accurate institutis, soli ex plantis eidem insitis dignoscendi scientia, ut plena & absoluta evadat, eget observationibus; nonnullæ tamen ex iis quæ in antecedentibus dicta sunt colligi jam possunt hujus æstimationis regulæ & cautelæ, quas coronidis loco breviter apponere juvat.

Indicant sine dubio plurimæ plantæ certam aliquam soli, in quo lubentissime habitant, compositionem & elementorum proportionem; aliæ illam strictius servant, aliæ minus. Terra arenaria & calcaria præcipue multas habent plantas sibi proprias, solique sui natalis indubias testes; solum autem argillosum, quamquam plurimis faveat vegetabilibus, paucas tamen alit herbas sibi figillatim adscriptas; quod & de humo solo aliquatenus valet, cuius pleræque plantæ ex ubertate nutrimenti, quod ipsis suppeditat, majores solito florent & luxuriantur, cum contra in solo hujus principii parum continente minores occurrant & quasi exiliores. In omni autem solo vegetabilia non tam partem illam constitutivam spectant, quæ quantitate sua prædominatur, quam eam potissimum, quæ qualitate prævalet & ex qua præcipue terreni proprietates generantur. Porro si plantæ, diversa soli genera per se indicantes, eodem loco sibi vicinæ occurunt, significant eo ipso stamina soli æqua fere elementorum portione sibi assimilari, unde in genere ex plurimis consideratis signis judicium de indeole ejus ferendum est. Meminisse autem simul oportet, non compositionem seu materiam tantummodo soli, sed multas præterea alias relationes & circumstantias vegetabilium stationes definire; quæ quidem saepius, si ad eas curiosius non attenderis, calculum adeo perturbant, ut falso omnino de soli natura constituas. Quid quod accidere pos sit, ut stratum soli inferius nonnumquam a vegetabilibus indicetur, neglecto superiore, in primis si hoc tenue & parum profundum sit, illud autem quod ad partes quibus constat, valde ab hoc alienum & distinctum, atque per se proprietatibus quibusdam admodum existantibus notabile.